

44. Ex *Symptomatis Act. L.* Supra recensitis verum est hic quod & in aliis Morbis: quò leviora sunt illa, eò morbus est mitior; quo graviora, eò vehementior. Pessimum si, Variolis erumpentibus, tantum absit ut remittant, ut potius ingravescant. In omnibus vero teste *Avicenna* Syncope affici & convelli perniciosissimum.

45. *Excretorum Symptomata* non semper damnantur, cum aliquid causæ morbificæ soleat interdum evacuari, cautè igitur hic pronunciandum. Omnes quidem Cruentas Excre- riones & Lividas damnat *Hochstetterus* (a). Urinam tamen Cruentam cum Salute vidit *Dodoneus*. (b) Narium hæmor- rhagiam *Schenckius* (c) & *Forestus*. (d) Alvi profluvium malum imò lethale proclamat *Forestus* (e) In principio tamen ali- quando observatum est salutare viribus adhuc constantibus. Unde fluorem Alvi non comprimendum esse *Crato* (f) svadet, sed mitigandum iis, quæ malignitatem Humorum contempe- rant, & ad superficiem corporis expellunt.

46. Ex his ni fallimur, rectè prænoscemus utrumq; Mor- bi Eventum, sed consultis simul Viribus quæ si consentiant nunquam desperandum, si dissentiant, nunquam fidendum. Repugnante quippe Naturâ irrita esse omnia sapientissime *Senex* (g) noster attestatur.

47. Non autem exquisita semper speranda est Morbi mu- tatio vel ad Salutem, vel ad mortem, sed sæpè varia conse- quuntur *ἄννευατα* quæ vel agros lentâ morte sustollunt vel Restitutos aliquandiu, si non ad finem Vitæ, comitantur.

48. Agmen ducunt Cicatrices & foveæ sæpè fœdisime. Narium coalescentiam vidit *Platerus*: (a) Carunculæ lachry- malis absorptionem *Sennertus*: (b) Pterygium *Forestus*: (c) Ophthalmiam & Epiphoram *Fabricius Hildanus*. (d) Alii alia Oculorum Vitia ipsamq; Cœcitatem, quod quasi proprietate quadam, sed citra rem, oculos hic infestari statuunt. Auditus lésionem observavit *Horstius* (e) Ciliorum, Superciliorû, Bar- bę, Capillitii defluvium incurabile *Paræus*: (f) Duros hinc in- de Tumores *Fabricius* (g) & *Horstius* (h): Abscessus *Paræus* (i) & *Fabricius* (k). Ulcera maligna *Forestus*, (l) *Fabricius*, (m) *Horstius*:

(a) *obs. M.*
d 1 c. 7, 8,
9.
 (b) *obs.*
M. c 14.
 (c) *l. 6.*
obs 106.
 (d) *l. 6.*
obs. 48.
 (e) *ib 45.*
in schol.
 (f) *l 4. Ep.*
M. p. 393.
 (g) *in l. ege.*